

*Poematis
deverticula*

instituit poeta. Item illustris actio est et completa et rerum magnitudine egregia, siquidem de Romanorum imperio condendo pertractat. Fabula autem tribus partibus constat, exordio, rerum nexu, solutione, ita tamen ut casuum series pulcherrimis, quae dicuntur, episodiis et varietur, et levetur et illustretur. In his sunt Iunonis consilium de submergenda Troianorum classe, ex quo mari ventorum vi extemplo agitato et turbato, poematis res et argumentum, in media ut dicitur re, initium sumit; tum horriferi Troiani incendii exitiique ad verum descriptio, et itinerum tam longinqua per loca diversa, et navigationis narratio quam Aeneas ipse eo doloris sensu ac dignitatis exponit, eo infelicis patriae desiderio, ut miserationem permoveat atque amoris incendium in audientis reginae pectore excitet. Ex huius amore atque acerbissimo funere liber quartus conficitur, quem qui animo molli legat et a natura bene informato, incredibili moestitia suaviter perfunditur et quasi satiatur. Accedunt rei ornandae causa multa alia; in his est ludorum descriptio, quibus Anchisae patris mortis anniversarius dies celebratur, descensus ad Elysios campos per Tartari vices, complura alia, quae ita narrationi connectuntur, ut seiuncta neque eam graviter immutent neque minus perspicuam efficiant. Heroum autem mores ita varii in poemate sunt ut diversa hominum ingenia expriment, iidemque adeo sibi constanter aequabiles, itaque rebus condicionibusque hominum adhaerentes, ut aut quid revere sit aut quid esse oporteat in vita ostendant.

*Aeneas inge-
nium et
mores*

CLXIX. Equidem non ignoro criticos esse nonnullos, qui, cum in heroibus virtutem quandam duram expetent ferream quasi atque inhumanam et eorum immanitatem celebrent; pietatem, religionem humanitatem, cuius in Aenea Virgilius imaginem et exemplar expressit, vel exproberent et damnent, vel gravi vitio poetae epico facile vertant. Achillem ferum diligunt, pium spernunt Aeneam. Heroem virum illum existimant, qui neque pietate flectitur, neque misericordia

movetur; qui immani ferocitate animi exsultat, qui furore inflammatur, odio incenditur, corripitur ira. Aeneam virum adumbratum dicunt, iacentem, fractum, quia mollioribus et suavioribus moribus utitur, quia iustitiam colit, parentes, amicos, quia deos precatur. Istorum sententiae equidem non assentior. Ille immanitate, ferocia naturam hominum superat, Aeneas pietate. Non minus ferocitas deorum iratorum est, quam eorundem pietas; hac non minus quam illa homines supra hominum naturam ad deos accedunt. Vividiores colores in tabulis pictis delectant, at magis leves placent dissimilium colorum transitus. Pietas in Aenea neque a virtute disiuncta est, neque ignava, at asperitas in eo humanitate delinitur et temperatur; ardens tamen est si oportet, et multis locis apparet. Ceterum non aetatibus omnibus eadem conveniunt. Graeci veteres, quasi artis portentum, Cleanthem Corinthium mirari soliti erant, qui, cum ad similitudinem opificum Aegyptiorum et morem figuras pingeret solido corpore, membris, lacertis praestantes, figurarum ipsarum magnitudine quadam immani rigidioribus tantum lineamentis sine colore definitarum, animos etiam tum rudes eorum percellerat et vehementer movebat. Attamen non ita multo post illum maiore in honore Apollodorus, Polygnotus, Zeuxis esse coeperunt, qui ideo placebant, quia, coloribus usi, ad mollitiem et ad formam delicatorem artem illius asperam et inconditam inflexerant, quo aptius ad suae cultum aetatis conformarent. Apud nos pictores duo suppare paene, qui in eodem Leonis decimi saeculo inciderunt, Michael Angelus Buonarrocius et Raphael Sanctius communi omnium consensu prae ceteris laudantur; hic, quia illius figurarum asperitatem incurvis lineis et delicatis vividioribusque coloribus ad tenuitatem gradatim vanescentibus ita mollivit, ut suaviter visum blandiatur; alter, quia irrefrenata quadam vi Titanum persimili figuras in tabulis et in parietibus non pinxit neque effinxit, sed, ut statuas reapse suas, in saxo quodammodo insculpsisse videtur. Suam

*Aeneae vir-
tus modera-
tur huma-
nitate.*

quaeque aetas singulique in aetate sua poetae trahuntur in artem. Quid de Virgilio? qui neque recens ab heroicis aetatibus erat, ut Homerus, neque ferocibus hominibus scribebat, sed Romanis, quorum in moribus erat parcere subiectis et debellare superbos. Herois Troiani indolem subtiliter Franciscus Vivona deprehendit et notat, qui nuper elegantissimis perpolitissimisque numeris Italicis poema Virgilianum litteris nostris mandavit. Aeneam equidem puto heroem alterum esse; diversum utique ab Achille, qui apud Homerum est; sed heroem non minus; cultu hercule et humanitate maxime inter se discriminantur, quae maior et pergratior in primo est; minor, aut nulla in secundo; in armis alter cum altero aemulatur, etiamsi illum nec superet nec aequet; at, cum arma virorum furentium sint, non quidem aequorum, qui inviti ad ea sumenda feruntur, Aeneam, qui mox populū Romani pater et conditor est futurus et iura daturus, non minus immanitas et iniuriae dedecent, quam arma ipsa et bella, quae non iusta de causa sumantur. Virum et heroem non eum dicam ad morem Graecorum antiquorum humanitate carentium, conformatum, sed virum tanto fortiorem quanto iustiore cum moribus Romanorum, qui Virgiliū aetate fuerunt, quam maxime congruentem; virum patrium dico, neque adventicium neque a Graecia importatum. Si quid vero Virgilianis in heroibus inquiris, quod reapse granditatem Homericam sapiat, quam laudas, inspice Turnum, inspice Camillam: ardentiorumque et vehementiorum cum heroibus Homericis invenies: Turnus et Camilla, cum longe acriores sint, heroum Homericorum lineamenta prae se ferunt atque figuram. Turnus cum Hectore ex aequo virtute et fato componitur. Hic pro aris et focus fortissime pugnans sub Troiae moenibus mediam per noctem flammis correptae accumbit, ille aperto in campo decertans primus in acie triste suum pro patria excipit fatum; uterque eadem de causa propter fortunam suam et casum eundem aetatem in omnem

Vivona
l'Éneide in
versi italiani.
Prefaz. Auso-
nia. Roma

Quibus notis
ab Achille
discropet.
Aeneas

Turnus et
Camilla ad
Homericum
modum
heroes

llegendus. De Camilla autem virgine quid? nam una mulier in carmine arma cum catervis in hostem gerens conspicienda stat et insurgit, cuius in Homericis parem aut similem nullam reperies. Iis haec moribus suis et propriis et singularibus utitur, ut quid revera sit nescias eamque, si intuearis, mire-
ris et diligas. Bellatrix assidue ad mortem invicta, mulebria non aspernatur ornamenta; eodem animo se ipsam colit et pugnat, arma gerit et pharetram Lyciam, umeros velat regis ornamentis crinemque auro adnectit. Item equitum agmina, insidens in equo, in hostem gaudet ducere, cum ventisque cursu contendere eosque praevertere laetificatur. Quam cum intueamur inter pavidas mulierum turmas viriliter agentem edentemque adversa per agmina strages, oculi recreantur; gratia enim et animo ceteris praestat non minus quam ceteros aetate et virtute antevertat. O decus Italiae virgo! o alma nemorum cultrix Latonia virgo! Cum hac in armis pari gloria nonnulli versantur adulescentes, alii alia de causa conspicui et insignes. En Euryalum et Nisum memorando quodam animi amore et amicitia coniunctos, cuius fatum unum idemque, animus unus, idemque pectus, qui patriam venerantur non minus quam inter se colunt, quorum alter alterum circumventum ut defendat, sanguinem profluens concidit, innumerabilibus ab hostibus oppressus. Fatum eheu quoddam immotum — mirum nam iuvenes amat Virgilius — istorum imminet aetati; Palinuro, Miseno, Bitiae, Pandaro, Pallanti, Lauso, ceteris heroibus adolescentibus instat, ut eos annis et animo, valetudine, pectore vigentes intercipiat: hos Virgilium dixerim iuvenes immaturis fati devovisse, quia ex sapientia poetarum Graecorum ἀποδνήσκει νέος, ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσιν et quia neque pulchrius neque miserabilius quam qui adolescens sit et forma, decora facie, corpore praestet, virentem fortiterque in pugnis pro aris atque focis pugnantem occumbere. Neque cum dolore vel nolentes adverso suo corripuntur fato, sed ignari appetunt extrema, ceu

*Euryalus et
Nisus, ceteri
adulescentes
heroes*

*Poema infi-
nito doloris
sensu
occupatur*

pluricolores flores, qui primo anni vere necdum aratos agros neque cultos laeti alium ad solem hiantes distinguunt atque decorant et sine causa cadunt inscio ab aratore succisi. Ceterum dolor, quasi rerum lacrimae, poema universum pervadit serpitque tristes ob eventus, in hominum animis ut maceret tecte et cruciet, tamquam si Virgilius innato quodam vitae taedio affectus, quod rerum contemplatione et usu in dies auxisset, heroes suos hominesque cunctos occulto item credat laborare taedio atque dolore. Dolorem Homerus hunc in intima hominum pectora sese insinuantem atque abdentem, quoad animi rapiditate viguit, penitus ignoravit; senescens vero haesitantem deprehendit neque eo et suo et proprio usus est neque dedita opera in suos heroes transferre potuit animo suo deficiente; Virgilius contra animadvertit et sentit. Critici nonnulli credunt Homerum — vel eos, si magis lubet, qui *αἰεῖται* hodie dicuntur, cum utrum hic fuerit revera, necne, post Vicum acriter disputetur — vix aetate florentem Iliadem memoriter composuisse; Odysseae contra inveniendae in senectute operam dedisse; hac de causa primam, solis orientis instar, vividioribus imaginibus celerioribusque animi sensibus clarius ac alteram splendescere; hanc vero alteram ad domesticos affectus cogitationesque significandas demitti, ut solis lux sese ad occasum condentis evanescit in umbras. Duobus ex his Homeri poematis in unum commixtis atque connexis, carmen Virgilio epicum natum est utriusque notis locupletatum; in quo mirum in modum lux illius fulgens teneris quibusdam umbris velatur, res heroice actae cum domesticis casibus componuntur, arma atrocita et bella, strages in miseros infertae, iis, quae armis potiora sunt et pulchriora, pietate in deos, in parentes, in amicos moderantur et singulari humanitate temperantur. Plenius ex hac parte et locupletius et magis ad veritatem variatum Virgilio poema quam unumquodque Homeri carmen habendum.

CLXX. Quae poematis laudes cum egregiae sint et per

se praeclarae, tum in primis dicendi genere illustrantur. Quis enim poetarum vel Romanorum, vel etiam Graecorum expoliore, aut dulciore, aut elegantiore oratione umquam heroicis in carminibus condendis usus est? Oratio eius emendata est Latina atque ex bona consuetudine non minus profluens quam summa arte limata. Versus lectissimis insculpti verbis, modo lenes, modo graves sunt, modo tardius modo incitatus ad mensuram feruntur, ut, Virgilii voluntate, non vocibus magis quam rebus inserviant. Ex varia compositione verborum sonum rerum exprimit earum, quas describit; nec id tamen operose facit, sed sua sponte quasi atque ad aurium iudicium, quod superbissimum a natura habuit. Pro multis duo tantum valeant exempla, quae duobus his versibus insunt:

*Elocutionis
virtutes et
versus*

Insequitur clamorque virum stridorque rudentum.

Intonuere poli et crebris micat ignibus aether.

*Lib. I. vers.
87 et 90.*

in quorum altero verba similiter cadentia ita iterantur, ut rudentum sibilus audiatur; in altero acutae vicissim et graves syllabae iis divisae verbis succedunt, ut quid audias et videas ac si tonet et fulguret. Bovem concidentem humi productiore versu et graviore et claudicante quasi depingit:

Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos.

*Lib. V.
ver. 481.*

In versibus quibusdam lenitatem et asperitatem, desperationem atque amorem divina quadam arte componit, ut in notissimis versibus, quibus Dido amantem infidelem compellat:

*Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum
Posse nefas tucitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor nec te data dextera quondam
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?*

*Lib. IV. vers.
305-308.*

Verba ita collocat et nectit, ut apte inter sese cohaereant et ad sententias volvantur atque sententiis lumina conferant;

incertus Aeneae dubiusque animus haesitantibus in versibus his et spiritu et sono quasi disruptisprehenditur :

. Ego te quae plurima fando
 Enumerare vales numquam, regina, negabo
 Promeritam nec me meminisse pigebit Elissae,
 Dum memor ipse mei, dum spiritus hos regit artus.
 Pro re pauca loquar. Neque ego hanc abscondere furto
 Speravi — ne finge — fugam, nec coniugis umquam
 Praetendi taedas aut haec in foedera veni.
 Me si fata meis paterentur ducere vitam
 Auspiciis et sponte mea componere curas,
 Urbem Troianam primum dulcisque meorum
 Reliquios colerem, Priami tecta alta manerent,
 Et recidiva manu posuissem Pergama victis.

Lib. IV. vers.
 333-344.

CLXXI. In formis et aspectibus locorum et regionum repraesentandis, coeli, maris, varietate colorum utitur, quam numquam ditissimus pictor adhibuerit. Ita, cum ad lucem rebus inferendam praeclaras ex re dispari similitudines reperit, tabulas quasi pictas effingit. Hinc quoque in exemplum cum vel noctem, vel maris aestum, vel tempus vernum, vel pugnam describit, ita res multiplici variat ratione, quae ab aliis antea vel etiam ab Homero inventae sunt, itaque arte sua colorat, ut eos nullo modo imitari videatur, sed suum proprium aliquid et a se inventum et excogitatum efficere. Hanc equidem ob causam, si de universa arte Virgilii iudicium ex quadam cum Homero comparatione instituenda ferre velim, verbis iis utar, quae Quintilianus ab Afro Domitio refert iuvenem audisse: qui quidem, Quintiliano sciscitanti, quem Homero accedere crederet « *secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo quam tertio* ». Quibus ipse non tantum aetate, sed artis cognitione maturus haec addit: « *Et hercule, ut illi naturae caelesti atque immortalis cesserimus, ita curae et diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ei fuit magis*

Quint. X.
 Inst. I. 86.

laborandum, et quantum eminentibus vincimur, fortasse aequalitate pensamus». Quam Virgilii perfectam dicendi artem secum ipse perpendens Ieronimus Vida, poeta haud ignobilis, qui fuit saeculo litterarum Latinarum studiosissimo, cum poeticorum libros, qui de arte rethorica sunt, Cremonensibus mitteret, praeceptorum, quae tradebat, ut exemplum Virgilium indicavit. « *Intelligent etiam, quantum ornamenti, ac luminis huic Arti praestantia ingenii attulerit Virgilius noster, quem poetarum omnium — non de nostris tantum, verum etiam de Graecis loquor — facile principem ponimus. Huius ego quoties, Patres optimi, divinum poema lego, videtur mihi vir ille non tantum historiam scribere, sed de ea ipsa arte praecepta tradere voluisse, ut ostenderet, quantum Graecis ipsis, a quibus hanc disciplinam accepimus, defuisset, quodve de hac Arte est, quod de ceteris omnibus dici posset, nostros videlicet, quae ab aliis accepere, ea semper meliora reddidisse* ».

*Hieron. Vida
in Epist. ad
Cremonenses*

CLXXII. Datus profecto est deorum numine quodam maioribus nostris Romanis poeta, qui, cum ad omnium marium litora imperium diffluxisset, sempiterna apud totius terrarum orbis aetates Urbis nomen et gloriam faceret et cycnea voce concineret; qui renovandis Italiae gentibus veterem litterarum lucem et lampada per Dantem traderet per eundemque multos post annos novum rerum futurarum meliorum auspiciam portenderet; fabula enim detracta, Virgilii poema historiam Romanorum mirum in modum concelebrat. Ex Latinorum aborigenum commixtione cum Troianis advectis, fatorum numine, oritur Roma; ex illorum virtute, lingua, moribus, cum religione Troianorum cultuque deorum coniunctis, artes et studia efflorescunt, quibus, viis terrarum patefactis, Urbs armis potentissima moribusque integerrimis, populos imperio regat una, pacisque morem imponat eademque parcat pietate subiectis atque superbos virtute debellet. A funere Didonis, tanquam a remotis discordiarum causis, bellum Punicum

*Quid sibi
Virgilius
proposuerit*

cepit initium, quo bello bene confecto, fata terrarum imperium Romanis aperuerunt. Item a Venere, Aeneae matre, cuius tutela ad Tiberis ostia generis primus auctor Aeneas appulit, genus atque originem primam ducit Augustus, qui, saeculis aureis instauratis, cum Hercule fortitudine contendat, peregratorum finium latitudine Bacchum superet et pacatum orbem sua regat prudentia. Quas egregias res, per imaginem et somniantis speciem Romanis destinatas in campis Elysiis Anchises filio ostendit, in caelato clypeo Venus, dea mater iubet effingi ac si Romanos docere velit imperii amplitudinem magnificentiamque in armis consistere.

VIRGILIANA MINORA ET ADVENTICIA

CLXXIII. Ex minoribus carminibus, quae sub Virgilio nomine accepimus, occurrit in primis « *Copa* » quod carmen festiuitate plenum est undeviginti alternis versibus longiusculis constans, in quo mulier quaedam Surisca, quae vinum vendit, ad lascivos procax amores, ad merum, ad flores viatores itinere fessos suam in tabernam invitat et excipit. En ut carmen noscas, quantum ad provinciam meam spectat initium :

Copa

*Copa Surisca caput graeca redimita mitella
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria fumosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos :
Quid iuvat aestivo defessum pulvere abisse
Quam potius bibulo decubuisse toro ?*

Etsi haud Virgilio indignum cum venustate orationis atque nitore, tum versuum structura hoc carmen videatur, ab eo tamen rei ipsius genere lasciviore et minus poetae ingenio constanti abiudicatur a multis. Poematium aliud « *Ciris* » quingentis quadraginta uno hexametris versibus continetur ;

Ciris autem nomen avem quandam indicat, in quam poetae Scyllam virginem regiam fuisse mutatam fabulantur. Haec enim Minois, Cretae regis, amore capta, patrem ipsum Nisum, regem Megarensium, cum ob amorem contempsisset, purpureamque, dormienti parenti abscissam comam tulisset hosti, dum Minoem in Cretam renavigantem sequitur, in avem conversa impii facinoris poenam luit. Falso equidem arbitror hoc carmen Virgilio etiam inscribi; nam cum Aeneidis versus integri in eo inveniantur nec non multa hinc illinc ex Catullo surrepta, cum ex fontibus poetarum, qui Alexandrini dicuntur, si genus ipsum inspiciamus, res deprompta videatur, dignitate formae caret et recentiore aetate ab imitatione expressum Virgilii in exercitationem apparet. Idem iudicium de carmine, quod « *Culex* » inscribitur, ferimus. Quamquam enim multis monumentis constat profecto, de hac re carmen fuisse a Virgilio conscriptum, quod carmen heroicis versibus constans quingentis quattuordecim nobis in manibus est, aut illius minime dicendum est, aut satius corruptum, versibus et additis et detortis et immutatis a librariis, credendum; eius enim res cum Virgilianis minime quadrat. Perexiguum animal culex pastorem a serpentis morsu spiculi acumine excitatum a somnio dum liberare conatur, imprudens atque ipsum conteritur. In somniis tum pastori se post mortem ostendit, obscurisque inferorum locis descriptis, ab eo petit, ut ingrati obitus pensandi causa tumulum sibi extruendum curet. Re simul et genere ad Bucolica accedere videtur idyllium centum viginti tribus longis versibus constans, quod inscribitur « *Moretum* ». Rusticus quidam senex, Simylus nomine, sub primam lucem, sibi cibum parans inducitur. Contractis in mortario, ruta, caseo, sale, allio, aceto, aliis huiusmodi edulibus rebus, iisque pistillo intritis, panem madefacit, ut cibum, quod moretum dicitur, conficiat. Si Virgilio carmen hoc ascribendum est, id in pueritia confecit. Grandiloquens in exordio est altius sonans, ultra quam res tenuis postulet;

*Ciris**Culex**Moretum*

consuetudinis videtur meminisse agricolarum, in paupertate ipsa et gravibus muneribus beatam vitam agentium.

*Iam nox hibernas bis quinque peregerat horas
 Excubitorque diem cantu praedixerat ales,
 Simylus exigui cultor cum rusticus agri
 Tristia venturae metuens ieiunia lucis,
 Membra levat vili sensim demissa grabato
 Sollicitaque manu tenebras explorat inertes
 Vestigatque focum, laesus quem denique sensit.*

Κατάλεκτα

Breviora autem carmina quattuordecim, quae inveniuntur in libro, qui « *Catalecta* » inscribitur, tum re et argumento, tum numeris valde inter se differunt et satis superque longe a ceteris Virgilii carminibus absunt. At de his quoque hactenus, nam de *Aetna*, quae nostro quoque poetae falso multos annos attributa est, alio loco plura dicturus sum.

Q. HORATIUS FLACCUS

CLXXIV. In Q. Horatio Flacco, lyricorum Latinorum principe, quid acris ingenii praestantia efficere possit, addita patris disciplina atque magistrorum institutione, videmus. Etenim ut ipse summo ingenio fuit, ita pater in eo instituendo industriam et diligentiam summam adhibuit. Humili loco — nam pater eius praeco erat ac libertinus — biennium ante Ciceronis consulatum anno sexcentesimo octogesimo nono post Urbem conditam IV. Id. Dec. in oppido Venusia natus est; Lucanus vero an Apulus dicendus, ut ipse notat, anceps,

Nam Venusinus arat finem sub utrumque colonus.

Horat. 11.
 Satir. 1. 35.

Pater eius — qui vectigalia exigenda conduxerat, compendiis, quae parsimonia multa collegerat, macrum Aufidi fluminis adiacentem ripis agellum emerat — non eum Venusiae Flavio

cuidam magistro in disciplinam erudiendum tradidit, Romam se secum in urbem attulit, ut Orbilius Pupillum, celebratissimum sapientiae magistrum, audiret. Hinc, ut in nobilium civium usu erat, viginti annos natus Athenas, ut in inceptis studiis insisteret, venit. Ibi cum ipse, advena citra mare natus, versiculos Graecos facere instituisset, tali voce vetitus est :

*In silvam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Graecorum malis implere catervas*

scilicet cum eruditis Graecis poetis Graeca lingua de poesis laude contendere desinit. Cum, Caesare interfecto, iterum belli civilis incendium exarsisset, et a Bruto, qui Athenas venerat, in partes suas deductus esset, militum tribunus creatus est collecticiis in exercitibus, qui ad libertatem reipublicae armis tuendam in Macedonia contrahebantur. Cum Bruto proelio ad Philippos interfuit. In pugnae discrimine, cum exercitus Bruti terga vertissent, *relicta non bene parmula* fugam capessivit. Deinceps, afflictis animis et rebus omnibus fractis, cum ab Octaviano militibus distractis venia esset data et facta redeundi in Italiam facultas, in navem conscendit. Inter navigandum, mari ad Palinurum promontorium turbato vix naufragium effugit : in terram integer egressus Venusiam iter perrexit. Ibi tristissimum nuntium accepit ; patrem, se absente, mortuum esse seque ob agrorum largitionem, quam militibus fieri iusserat Octavianus, agello paterno privatum. In extrema pauperie vitae sibi sustentandae consulendum fuit, ideoque, cum Romam se contulisset, ab Augusto munus scribae impetravit et versus scriptavit, unde in epistula :

*Unde simul primum me dimisere Philippi,
Decisis humilem pinnis inopemque paterni
Et laris et fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem.*

I. Satir. 4.
105; 6.65

II. Epist.
2. 42. et seqq.

I. Satir. 10.
34.35.

II. Carm.
7. 10.

II. Carm.
4. 28.

II. Epist.
2. 49.

Evulgatis itaque satirarum atque epodum libris, eam famam

acquisivit, ut a Virgilio Varioque in amicitiam acciperetur; ab his in Maecenatis equitis clarissimi familiaritatem est insinuatus, cuius beneficio Augusti sibi favorem et gratiam conciliavit. Uterque eum in deliciis habuit; Augustus inter alios iocos eum *homuncionem* lepidissime appellare solebat. Maecenas eum comitem in itinere ad Brundisium voluit. Item ab utroque liberaliter villis et praediis locupletatus est, quae ei opportuna ad bene beateque vivendum adiumenta suppeditarent. In his a Maecenate villam in Sabinis accepit, cuius saepe in carminibus amoenitatem laudat. Reliquam igitur aetatem sine molestia cum egisset, natus quinquaginta septem annos obiit. Augustus, quem bonorum omnium ex testamento heredem reliquerat, funeris pompa honesta atque magnifica facta, in Esquiliis iuxta Maecenatis tumulum eum humari iussit.

Suet. in Vit.;
II Satir. 6.40
et seqq.

CLXXV. Fuit Horatius — nam suam ipse imaginem in satiris epistulisque lepidissime verbis exprimit — statura humilis, corporis habitu praepinguis atque obesus, oculis lippis, canus ante diem. Ingenio hilari et aperto ita lepidus erat, ut salibus atque facetiis in quotidiano quoque sermone uteretur, ad bilem autem iracundiamque quo natura ipsa proclivior, eo placatu facilior. Item in amicitiiis colendis ita stabilis et firmus, ut levis et mutabilis in amoribus. Veterem enim amorem, si amisisset, novo amore, tamquam clavum clavo, eiciebat; amicos vero, sive qui in republica vel uni, vel in primis valebant, constantissime coluit ita tamen, ut non iis utilitatis causa assentaretur, neque idem ingratus in gratia referenda videretur. Ab Augusto invitatus epistulam ei breviorē rescripsit, ne longo eum sermone tanta negotia sustinentem moraretur, at propter minus firmam valetudinem litterarum munus et officium declinavit, quod ab Augusto offerebatur. A Maecenate autem, cui in primis ita carus erat, ut omnia ab eo expetere posset, praeter unam in Sabinis villam, nihil ultra accepit; huic, grata quadam beneficiorum

II. Epist. I.

significatione carmina inscripsit. Non eandem uno modo vitae rationem servavit. Ex Orbilii enim institutione adulescens epicuream sectam secutus oblectamentis voluptatum primum se deliniri sivit; tum aetate provectus, cum se Academicis tradidisset, nihil potius habuit, quam ut, curis omnibus vacuus et muneribus, in ruris amoenissimi quiete procul ab Urbis rumore beate viveret et regnaret. Hanc ob causam qui fuerit et civis et poeta nulli umquam magistro ita addictus, ut in eius verba iuraret, talem se et sincerum integrumque in carminibus exhibet.

CLXXVI. Quae quidem carmina cum saepenumero pervolutarem, tribus distinctis et quasi inter sese divisis mihi temporibus ab eo fuisse conscripta persuadebatur; videlicet quoad iuvenis fuit atque ardens « *Iambos* » qui vulgo nominantur etiam « *Epodi* » tum in aetatis flore « *Sermones* » seu « *Satiras* » atque « *Carmina* » atque « *Carmen saeculare* » tum extrema aetate « *Epistulas* » atque « *Poeticam* » ad Pisones fratres — hanc sermonibus alii coniunxerunt, epistolis ipse potius adicere solitus erat —. Hunc temporum ordinem iambis atque sermonibus assignamus propter multas causas, quae unicuique propriae sunt, et propter communem omnibus pectoris aestum, qui eum, ut ipse fatetur, in iuventa tentavit. Non enim desiderantur in utrisque, etsi frequentiores in illis inveniuntur, acres verborum aculei, quibus ipse Archilochi mordacitatem aemulatur. Genus numerorum hoc primum se superbius invenisse gloriatur; nam ait de se:

*Iambi seu
Epodi*

*Parios ego primus iambos
Ostendi Latio, numeros animosque secutus
Archilochi, non res et agentia verba Lycamben.*

*l. Epist. 19.
23. et seqq.*

Sed quam laudem sibi vindicat, non concedimus; Lucilius Bibaculus, Catullus, poetae alii iisdem iam pridem erant usi versibus; istos tamen animi contentione et arte ita superavit, ut genus orationis et versuum conformationem longe faceret

elegantiora. Ad genus quod attinet — nam usu carminum genera alia ab aliis diversa distinguuntur — carmina Horatii alia lyrica sunt, alia didascalica et satirica, alia denique, quae — cum hoc et illud genus in unum componant et teneant mediam inter utrumque viam — media dixerim; quamquam verëor ne haec divisio artificio non careat, quod unus idemque carminibus in omnibus sit poetae animus afflans et spirans, eademque res usque recurrentes, quibus ad carmina fundenda impellatur. Postremum equidem genus suum et poetae proprium et cum eo natum censeo; in epodis enim reperitur, quos prima iuventa constat concinnasse; ea videlicet aetate, qua hominis uniuscuiusque indoles et natura, curis vacua, carens arte, nondum hominum et rerum experta, loquitur per se atque sua sponte fertur ad sermonem quam maxime sui similem conformandum. Epodi, iambis plerumque trimetris et dimetris alternis compositi, decem septem numerantur. Versus hos indignatio, ira, stomachus, ardor partem maximam facit, urit, inflammat. Acriores aculei e carminum sine inopinate in singulos vel in cives catervatim erumpunt. Quarto in iambo libertum quendam, ignotum hominem et novum, laedit quod, cum malis artibus divitias comparavisset, obscurae sui ipsius originis immemor, tribunicia militum potestate superbus incedit; cachinnans ita eum alloquitur:

Licet superbus ambules pecunia,

Fortuna non mutat genus.

Iamb. 4. 5-6

Maevium in decimo quendam, qui malus poeta est, qui male olet, nave in Graeciam transvecturum mordet; consuetudinem scilicet poetarum imitatur, qui amicis proficiscentibus omina fausta per carmina mittere soliti erant, in malam partem, vafer, vertit: infelici Maevio abeunti haec bene, apage! ominatur:

Mala soluta navis exit alite,

Ferens olentem Maevium:

Ut horridis utrumque verberes latus

Auster, memento fluctibus.

Iamb. 10. 1-4.

In eundem Maevium, ut videtur, epodo sexto acrius instat. Hic enim ex suspicioso et malefico malorum poetarum genere, cum non aequo animo ferret, quod a civitate et praesertim ab Octaviano et a Maecenate poetae advenae praeferrentur, hospites contumeliis vexabat; cui Horatius ad benevolentiam erga pauperculos poetas significandam, pectus ira tumidus:

Quid immerentes hospites vexas, canis

Ignavus adversum lupos?

Quin huc inanis, si potes, vertis minas

Et me remorsurum petis?

Iamb. 6. 1-4.

obtrectatorem invidumque reliquis versibus magis magisque perstringit eique mala minatur, nisi, ad ima ossa atro dente laceratus atque decerptus inultus, puerorum in modum, lacrimis fleat. Iambi nonnulli, aculeis, ignibus, armis quasi acre ad proelium instructi, e libro in faecem mulierum infimam resultant, quae, antiquis maiorum moribus corruptis, huc illuc noctu dieque per Urbem vagantes, vias, forum, theatra, suburras frequentant atque stipant. In hoc perditissimarum foeminarum turpe quasi collegium altera alteram cooptabat; inerant pantomimae, saltatrices, comoedae, unguentariae, huiuscemodi balatrones et etiam matronae. Horatio, caelibem vitam agenti, non displicebat istarum foeminarum uti consuetudine; Maecenati equiti, poetis in Maecenatis circulo versantibus Horatius, nebulo in nebulonum corona, amores narrabat, ut delectaret, iambis amatoriiis per iocum compositis. Nominibus amantes suas transmarinis et importatis, vel e verbis Graecis exquisite formatis decorabat: en Lydiam et Glyceram; en Lalagen et Chloen; en Neaeram; en, malis nominibus, Cyneram et Canidiam; en innumerabiles alias. Quo facilius istarum amores sibi conciliat eo citius amittit; volubiles enim sunt animo omnes neque uni tantum addictae; mulieres has Horatius non amantes laudat et celebrat — nugator enim est, neque suppetit ei tempus, neque amoribus

credere praestat — qua erat indole et natura sua facetus, infideles et periurias deprehendere, vexari et versibus suis lacerare potius habet; ipse et a amici una infideles ridebant; ridebat homuncionem Augustus. Octavo atque duodecimo vetulam, amorum cupidissimam et inexplebili libidinum cupiditate ardentem, detrectat et vexat: altero istorum turpem illius vultum et formam obscenis verbis usus describit:

*Rogare longo putidom te saeculo
Vires quid enervet meas,
Cum sit tibi dens uter et rugis vetus
Frontem senectus exaret*

Iamb. 8. 1-4.

in altero autem contumeliis et probris inverecundiam eius et procacitatem turpissimosque mores laniat et nudat:

Iamb. 12. 1.

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?

In Canidiam, quae veneficiis et cantionibus hominibus dementiam parabat, quinto et septimo decimo triumphans irruit atque invehitur. Hanc simulationibus falsisque laudibus sibi propitiam facere velle fingit, quo acrius laceret et cruentet:

*Iam iam efficaci do manus scientiae,
Supplex et oro regna per Proserpinae,
Per et Dianae non movenda numina,
Per atque libros carminum valentium
Refixa caelo devocare sidera,
Canidia, parce vocibus tandem sacris
Citumque retro solve, solve turbinem!*

Iamb. 17. 1-7.

At venefica mulier, surdior saxis, neque verba audit neque precibus auscultat. Sub Canidiae nomine veteres interpretes improbam puellam occultasse referunt, Gratidiam nomine, unguentariam, Neapolitanam eamque sempiternis maledictis etiam sub nominibus aliis vexavisse putant, quia infidelem et inconstantem invenisset. Nec infidelis sola! Nam Horatius,

perpetuo caelebs, facilibus laborat amoribus! En Neaeram; igniculis novis ardet et excruciat. Quid? infidelis et ipsa; nonne, caelo sereno, fulgente luna, sideribus ceteris fulgentibus, nonne amanti fidelem iuraverat perpetuo futuram? Eandem recinit rem: infidelem amantem, quae eum arctius quam hedera ilicem amplexa, mutuam amorem iuraverat:

*Nox erat et caelo fulgebat luna sereno
Inter minora sidera,*

*Cum tu, magnorum numen laesura deorum
In verba iurabas mea,*

Fore hunc amorem mutuam.

Iamb. 15.

1-10.

Quas animo et pectore suo Horatius amat, eas non ita multo post se et amore suo indignas reperit. Faeces amoris! surdes mulierum! Neaeram hanc mox, ut ceteras, periuram erga amantem alterum atque alterum cito futuram praedicit.

CLXXXVII. Ab his valde primus distat, undecimus atque decimus quartus, qui similitudine versuum magis quam affinitate sententiarum in epodum libro continentur. Epistulae dici possunt, non soluta oratione sed numeris adstricta compositae, quas ad amicos mittit. In decimo tertio amicis in convivio propinat, eosque rebus in adversis ut diem carpant, invitatur. Epodus hic inter carmina symposiaca referri potest, quae inter epulas a compotantibus dici solebant. Convivae, tamquam in ornatu scaenae, senectutis adventantis cogitatione et moestitia tenentur quo arctius tempestati horridae quadrent.

*Horrida tempestas caelum contraxit et imbres
Nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc silvae
Threicio Aquilone sonant. Rapiamus, amici,
Occasionem de die, dumque virent genua
Et decet, obducta solvatur fronte senectus.*

Tu vina Torquato move consule pressa meo:

Iamb. 13.

1 6.

Allium, tamquam vilissimum cibum durisque vix ilibus

messorum tolerandum venenum, epodo tertio despicit, cum Maecenate lepidissime iocans, qui ut convivarum stomachum moveret, cibos in coena suppeditari iusserat satius necessario illo conditos. At poenam luet Maecenas, cuius savio puella manum opponet et extrema in sponda halitum fugiens recubabit. In septimo et decimo sexto discordias civiles, neque lupis neque leonibus dignas, quam maxime nefastas improbat; quae eo civitati imminere putat, ut nepotes luant Romuli scelus:

*Sic est: acerba fata Romanos agunt
Scelusque fraternae necis,
Ut immerentis fluxit in terram Remi
Sacer nepotibus cruor.*

*Iamb. 7.
17-20.*

His discordiis Romam turpiter pereundam esse praesentit:

*Barbarus heu! cineres insistet victor et Urbem
Eques sonante verberabit ungula,
Quaeque ventis carent et solibus ossa Quirini
Nefas videre! dissipabit insolens.*

*Iam. 16.
11-14.*

In nono epodo denique — quem nonnulli post pugnam ad Actium promontorium, in qua Octavianus Antonium superavit, alii contra post navalem in barbaros navibus per maria cursitantes scriptum esse putant — triumphalis carminis species quaedam est, ut ex his versibus facile patet:

*Io Triumphe tu moraris aureos
Currus et intactas boves?
Io Triumphe nec Iugurthino parem
Bello reportasti ducem
Neque Africano, cui super Carthaginem
Virtus sepulcrum condidit.
Terra marique victus hostis punico
Lugubre mutavit sagum.*

*Iamb. 9.
21-28.*

In secundo est laudatio hominum, qui ruri beatam vitam

agunt faeneratoris ore commissa. Hunc ita sincero animo ingenuoque agricolas laudantem facit, illorumque sorti invidentem, ut prima specie eum credas ruris tranquillitatem pecunia, com meatibus pluris facere. Faenerator voluptates enumerat, quibus agricolae valde delectantur; adulta vitium propagine altas populos maritare agricolas invat, errantes mugientium greges in reducta valle prospectare, amphoris mella condere, pira, poma delectat decerpere et uvam.

*Beatus ille qui procul negotiis,
 Ut prisca gens mortalium,
 Paterna rura bobus exercet suis,
 Solutus omni foenore,
 Neque excitatur classico miles truci,
 Nec horret iratum mare,
 Forumque vitat et superba civium
 Potentiorum limina.*

Iamb. 2.

1.8.

Suavitas, quae carminum agrestium propria est, repente in satiram vertitur; nam fontibus etiam tum leniter obstrepentibus, qui leves ad somnos illice sub antiqua laudatorem invitant, venationibus, computationibus, sermonibus cum amicis gratiore animo quam cives dum fruitur tranquille laudator — naturam expellas furca usque recurret — vetus, natura trahente, faenerator redit idem, qui eandem post dies quindecim pecuniam faenori iterum dare cupidus optat:

*Haec ubi locutus faenerator Alfus
 Iam iam futurus rusticus
 Omnem redegit Idibus pecuniam,
 Quaerit Kalendis ponere.*

Iamb. 2.

67 70.

CLXXVIII. Hanc Archilochi rationem cum annis maturus reliquisset, Lucilii urbanio rem modum sibi prosequendum proposuit; cur? patriae institutionis causa Romanum satiras scribere potius arbitratus est? an maluit experiri opus, quod

Satirae seu
Sermones

I. Satir. 4.
105; 10. 46.

nemo etiam tum esset expertus? an potius quod renovando genere maiore in carminibus fundendis gaudio afficeretur? Discipulus itaque Lucilii, inchoatum a Lucilio opus altius invectum promovit. Nam in inveniendis quidem rebus huius vestigia ingressus est; at orationis genus et verba novavit numerosque emendatos punice ad unguem limavit. In sermonibus animo mitior factus atque urbanior, minusque in vitiis ipsis aggrediendis atrox, sensim sine sensu a singulis decedens ad universos tristi nota notandos accedit; neque loris ultra eos aut flagellis caedit, sed vitiis, quae communia sunt, pacato animo familiarique quasi sermone illudere studet. Hanc igitur ob causam huiuscemodi carmina, quod domestici aliquid in se habent et quandam quasi familiaritatis notam « *Sermones* » appellavit; quos in libros duos distribuit. Materiam plerumque a civium moribus, interdum a se ipso suisque rebus vel amicorum quoque desumit; qua ratione ad errores hominum vitiaque evagatur omnia. In priore libro satirae decem continentur, in quarum prima homines lepidissime ridet, qui haud sua sorte contenti, aliorum fortunis invident fortunam et conditiones commutare aucupantes:

*Qui fit, Maecenas, ut meno, quam sibi sortem
Seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
Contentus vivat, laudet diversa sequentes?*

I. Satir. 1. 1-3.

Per diversas conditiones discurrens militem in mercatorem se immutare velle notat, mercatorem in militem, iuris peritum agricolarum vitam laudare, agricolas solos felices in urbe viventes clamare; neminem esse, qui, propriis pretis, aliorum hominum commodis non invidet, nullumque deum, qui studia perpetuo istorum mutartia explere queat, ut satiet.

*Ne te morer, audi
Quo rem deducam. Signis deus 'En ego, dicat,
'Iam faciam quod voltis; eris tu, qui modo miles,
Mercator; tu consultus modo, rusticus; hinc vos,*

Vos hinc mutatis discedite partibus. Eia!

Quid statis? nolint. Atqui licet esse beatiss.

I. Satir. 1.
14-19.

In altera eiusdem satirae parte homines compellat, qui tanto divitiarum cumulandarum studio ardent, ut impensis etiam necessariis parcant. Secunda satira de moechis est, tertia de vitiis inter amicos tolerandis; in quinta iter suum ad Brundisium facetissime narrat, quo in conficiendo sibi obviam Maecenas et Virgilius occurrunt. In sexta homines carpit, qui genus nobile iactant superbe; in septima, qui suis sententiis tenacius adhaerent; in octava, sub Canidiae nomine, mulieres veneficas mordit, quae cantionibus, carminibus ac medicamentis mentes vexant; in nona parasitos atque clientes, qui intempestive accedentes rogantesque impudenter, patronos in trivis sub salutandi specie insectantur iisque coenas condicunt. In quarta decima satirarum suarum contra detractores patrocinium assumit. Sparsim in aliis assentatores aliter adoritur, mordet, detrectat, qui multis verbis multisque laudationibus amicos gravi molestia fastidioque afficiunt.

CLXXVIII. Liber alter octo satiras complectitur. Prima, qua utitur ut prooemio, in quo se cum Trebatio de genere satirarum disputantem inducit, ut ab obtrectatoribus sese iterum defendat. Cum Lucilio in fine carminis se componens, Trebatio, de genere satirarum suarum iudicium ferendum relinquit:

*Quidquid sum ego, quamvis
Infra Lucili censum ingeniumque, tamen me
Cum magnis vixisse invita fatebitur usque,
Invidia, et fragili quaerens inlidere dentem,
Offendet solido, nisi quid tu, docte Trebati,
Dissentis? Equidem nihil hinc diffindere possum;*

II. Satir.
1. 74-86.

In secunda satira cibi potionisque frugalitatem ipse, Ofelli cuiusdam sententiam referens, ad amicos compotatueros ante mensas lancesque nitentes, oratoris instar causam dicentis, concelebrat. In quarta homines ventri unice deditos carpit;

simulat enim Catium quendam praecepta de mensis apparandis referentem audire, quae ab insigni magistro didicerat. Neque sophistarum generi indulget, qui tristem sapientiam homines docere glorientur, neque epicureorum inservit paradoxis; illis enim in tertia irridet, haec in septima explodit. Satira quinta illos in homines est, qui testamenta vel carpere, vel subicere solent; octava in homines novos, qui honoribus et pecunia tument et insolescunt. Horatii satirae, ut ex enumeratione ipsa rerum patet, quae in iis tractantur, vastum quoddam quasi theatrum est spectantium et agentium plenius atque stipatum. Qui fabulam agunt, non ambulant in scaenis, neque in subselliis commode sedent; qui fabulam docent iidem sunt ac qui spectant; homines nimirum mulieres lata in urbe viis, foro, triviis, tabernis versantes, publicis domesticisque cotidianis curis intenti. Non persona, ore iusto latiore et rotundo, ficticia utuntur, ut in theatris reapse, vel cothurnis, soccis, palliis; sed riciniis, togis induti, pedibus nudis, iisdem se moribus eandemque, qua utuntur facie, se praeditos exhibent, ut in communi vitae usu et consuetudine. In huiuscemodi hominibus non fictis, sed ad verum expressis, Tigellius est, Naevius, Nomentanus, Crispinus, Fabius, Rupilus, Tanais, Cupiennius, Fulba, ceterique foeneratores, moechi, adulteri, scurrae, caupones e sentina Urbis in satirarum lucem arcessiti. Multis de causis Horatii satirae praeter ceterorum satiris laudantur, maxime urbanitate et festivitate verborum nec non praeceptorum ipsorum sapientia, qua ad vitae usum accedunt. Etenim cum e variis discrepantibusque stoicorum epicureorumque disciplinis elegisset quae sibi probarentur, media, quae dicuntur officia libere candideque cives docuit eaque iudicii subtilitate, ut eius satirae cum Caecubo mero acri et forti in pulcherrimum Atticum vas iufuso compararentur. Acrius tamen in homines aut avaros aut malos inflammatur et invehitur: ita maxime ludibrio eos habet, qui vel iusto parcius vivunt, vel contra ingentibus

sumptibus rem familiarem pessumdant, turpitudinisque iis notam inurit, qui in voluptates se adeo mergunt et in omni genere flagitiorum ita volutantur, ut nominis splendorem maculis aspergant.

CLXXX. A satiris autem cum re ipsa, tum quoque orationis genere plurimum discrepant «*Carmina*». Genus hoc lyricae poesis assiduo potius Graecorum poetarum studio communitus quam aut natura aut ingenio sua sponte adductus, eo vitae tempore coluit, cum comparata sibi magna ex satiris fama lyricorum poetarum quoque laudem affectavit. Hanc ob causam inventionis novitas in his carminibus saepius desideratur, nec non interdum sincerior animi afflatus — profecto a Catullo superatur — orationis vero elegantia et concinnitas ea est, ut ex hac parte lyricorum facile princeps habeatur. Ceterum ipse de se iudicium satis aequum tulit; nam cum multis locis gloriatur, quod princeps Aeolium carmen ad Italos deduxerit modos, negat posse se Pindarum aemulari, cuius magna commovetur admiratione. Carmina igitur eius centum tria adnumerantur, quae quattuor libris continentur. Haec autem carmina cum et re et sententiis valde inter se differant, ita quoque et versuum mensura et numerorum genere varia sunt, atque ipsa mentis animique concitatione alia aliis egregiora. Sunt enim in quibus amores canuntur; in aliis ruris otia, conviviorum, amicorum gaudia, deorum cultus atque religio praedicantur, in aliis Octaviani Augusti populique Romani atque imperium atque magnitudo concelebratur. Ingenio igitur suo facile indulgens, quo erat animo in amores proclivior, amores suos cum concinit, nudum se et sincerum ostendit. Feminis si reapse exardescat, lentisque ignibus maceretur; si autem eas aut parum constantes aut falsas invenit, tum rogat et petit, ut sibi iterum fiant amicae; sin vero perfidas omnino aut procaces deprehendit, tum vehementer eas asperrimis verborum aculeis fatigat et verberat. Voluptatum tamen blanditiis non facile

*Carmina
lyrica*

*III. Carm.
30, 33-4; IV.
9, 3-4; I. 9.
32-33; IV. 2.*

obsistit, spretoque contemptoque uno amore, ab altero statim capitur eoque delectatur. Aureum carmen illud mihi videtur ad fontem in Sabinis, ex qua rivus gelidus Digentia delabitur, qui rapido cursu per saxa in Anienem influit :

*O fons Bandusiae splendidior vitro,
Dulci digne mero non sine floribus,
Cras donaberis haedo,
Cui frons turgida cornibus*

III. Carm. 13.

Primis et venerem et proelia destinat.

Conviviis extractis, lautis mensis, frequentibus poculis cum aequalibus sodalibusque habitis gaudet, quae, progrediente aetate, ad dolorem levandum vitamque iucundam reddendam una senescentibus restant. Haec, tempora corona velatus, symposiacis carminibus concelebrat. In aliis amicorum fidem, Virgilii, Maecenatis, Varii, ceterorum illustrat, quibus familiarissime utitur; deorum in aliis cultum dies festos memorat, pro maiorum religione pie sancteque celebrandos. Quod si autem augustiora ad munera et ampliora carmen transducit in rebusque a Romanis gestis concelebrandis versatur, tum nullo quasi studio poetarum granditatem maximorum assequitur. Hoc, ut exemplum afferam, accidit si Augustum Drusumque, Germanarum gentium victores, Pindarico more celebrandos assumit, vel si detestata civilia bella ab Urbe pie deprecatur, vel si, nuntio Cleopatrae necis commotus, pacem populo auspicatur. In huiusmodi carminibus, ut mihi videtur, epicorum poetarum munere fungitur, quippe qui, res gestas Romanorum versibus memorando, civium animos in patriae caritatem pro virili parte erigat atque sollicitet.

CLXXXI. In melioribus carmina illa habentur, ex quibus aureus liber tertius orditur. Equidem sex priora epicum quoddam ad modos lyricorum exaratum constituere poema censeo: etenim nexu quodam inter se obstricta atque ligata unam eandemque rem concelebrant: Romani videlicet imperii

*Genus car-
minum me-
dium inter
epicum et
lyricum*